

Franckesche Stiftungen zu Halle

Disputatio Inauguralis De Apostasia A Lutheranismo Ad Papismum Æternum Extiosa

Mayer, Johann Friedrich

Gryphiswaldiæ, [1711?]

VD18 90819527

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201726](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201726)




131 B.10

131 B10

Instit.





87
DISPUTATIO ^{S. B. F.} INAUGURALIS
De

APOSTASIA
A LUTHERANISMO
AD PAPISMUM ÆTERNUM EXTIOSA,

Qvam

Benevolo Summe Venerandi Theologorum Ordinis indultus

PRÆSIDE

Consummatissimo ac immortalium in Ecclesiam puriorem
meritorum THEOLOGO,

Viro Illustri, Magnifico summeq; Venerabili,

DN. D. JO. FRID. MAYERO,
S. R. M. Sveciæ Magnæ Fidei Viro, ejus-
demque Consiliario in Ecclesiasticis per omnes Germ. Pro-
vincias Primario, Ecclesiarum Citer. Pomer. Rugiæque
Ducatum Superint. Generali, Consist. Reg. Præsede gra-
vissimo, Facultatis suæ Prof. Prim. Seniore, & p. t.
DECANO maxime spectabili;

Patrono, Præceptore Studiorumq; meorum Promotore
Parentis loco atatem devenerando,
prorite impetrandis

Summis in Theologia Honoribus

Die 22. April. A. C. MDCCXI.

placido Eruditorum Examine submittit

M. MICHAEL FRIDERICUS QVADIUS,
SS. Theol. Baccal. Facult. Theol. Adjunctus.

G R T P H I S W A L D I A,

Typis DANIELIS BENJAM. STARCKII, Reg. Acad. Typogr.

DISPUTATIO IN AUGUSTALIS

APOSTASIA

A. LUTHERANISMO

AD PATRIAM ET TERRAM PATRIAM

PRÆFATIO

Consistentissimum et insignitum in theologia protestante

in theologia protestante

DR. D. JO. ERID. MATERO

S. R. M. Sveciae Magnae Fidei Viro, eius

denique Consistorio in theologia protestante

vicarius theologicus, theologiae Licentia, Rectoris

Universitatis theologiae, theologiae Licentia, Rectoris

Patris, theologiae Licentia, Rectoris

theologiae Licentia, Rectoris

theologiae Licentia, Rectoris

theologiae Licentia, Rectoris

M. MICHAEL FRIEDRICH GAVIUS

theologiae Licentia, Rectoris

theologiae Licentia, Rectoris

theologiae Licentia, Rectoris



Conspectus Dissertationis.

PROCEMIUM, breviter in sensum effati Apostolici 1. Tim. IV. 1. 2. inquirat, idque ad nostram applicat aetatem §. I. Genuinam Apostasie Etymologiam tradit, falsamque Aviti rejicit. §. II. De Generali Vocis acceptione dictis 2 Tim. II. 19. Act. XIX. 9. & testimonio B. Lutheri confirmata §. III. quid Pontificis Apostasia Irregularitatis notet? & an ab uno Religioso Ordine ad alterum deficiens, ex mente Pontificiorum, reprehensibilem Apostasiam incurrat? Jesuitarum Dissensus illiusve rationes. De Apostasia studiorum. §. IV. De Speciali Apostasie vocabuli acceptione; quid sit Apostasia Practica quidq. Dogmatica? §. V. Apostasia Dogmatica Terminus a quo s. Lutheranismus quid sit? notatur Gretserus. Commendantur Assertores Antiquitatis & Veritatis Ecclesie Lutheranae Haberkornius, Wellerus, Müllerus, Nifaninus, nec non Papismum Apostasia ac novitatis convincentes, Hunnius, Kromayerus, & Aolinæus. §. VI. Ecclesia Lutherana quomodo dicatur vera? contra Anonymum probatur, quod non sit Linea Romano Catholica. Laudantur Scripta Anti Syncretistica Jos. Halli & Franc. Turretini §. VII. Terminus ad quem sive Papismus, unde dicatur. Varia vocabuli Papæ Derivationes, inter quas Bielis, ridicula licet, laudatur, explicatur & §. VIII. Testimonis

);(

monis

monis Glossæ Jur. Canonici, Anconitani & Panigaru-
læ confirmatur, remittendo ad Magnif. DN. PRÆSIDEM.
Papismus s. Papista, non cenvitii, sed honoris nomina esse pre-
batur ex Lorino & Stan. Hosio. §. IX. De forma Apo-
stasia ubi simul succincta Professionis fidei Tridentinæ
Historia. Quinam edere eam teneantur? Præcipua illius Cas-
pita ex P. Sarpio. B. Alberti Examen Professionis Fidei Tri-
dentinæ laudatur. §. X. Apostasia Diviso, in Negativam
& Positivam §. XI. in Inchoatam & Completam. De
Apostatis Primitivæ Ecclesiæ Libellaticis Traditoribus,
Thurificatis, Mittentibus, Sacrificatis & Blasphe-
mantibus, ad quam Apostasia speciem pertineant? Rosarius
in Papatu utentes item Indifferentistæ & Syncretistæ huic
quozq. Classi annumerantur. Num Apostasia Totalis & parti-
alis cum Perfecta & imperfecta coincidat? §. XII. Apostasia
Dist. in Publicam & Privatam; Privata exemplo Christ.
Besoldi illustratur. Publice Solennitates ubi describantur?
§. XIII. Apostasia simplex & qualificata, Quid? §. XIV.
Apostasia vel sine vel cum blasphemia & persecutione; hujus
generis exempla Frid. Staphylus, Casp. Ulenbergius &
Carolus à Kreitz §. XV. Apostasia finalis & æternæ & hu-
jusq. exempla, Sam. Hermannus & J. T. Henrici. §. XVI.
Apostasiam, à Lutheranismò ad Papismum, exitiosam esse tri-
bus evincitur argumentis, ex 2. Joh. Epist. v. 9, Gal. 1. 8. Apoc.
XIV. 9. 10. 11. Hu §. XVII. Duo adhuc alia addit verbisq. Con-
fessionum ex Præfat. Form. Conc. conclusit.

I. N. I. A.

PROOEMIUM.

Vix, opinor, quis tristissimam temporum
nostrorum faciem feliciter & ad vivum quasi expressis,
quam magnus ille gentium Doctor, ipsissimis Spiritus S.
iisque clarissimis verbis in tabula velut depictam exhi-
bens, 1. Tim. IV. 1. 2. τὸ ἵ πῶμα ῥῆμα λέγει, ὅτι ἐν ὕστε-
ροις καὶ ἐν ὁπίσθιοις πνεύματι πνεύματι, πνεύματι πνεύματι
μασι πλάταις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, ἐν ὑποκρίσει ψευ-
δόλογον. Nolo nunc singulis sacri huius vaticinii vocibus pro-
lixè enodandis immorari, præsertim cum ipse Apostolus, se exer-
tum quasi digitum ad postremam hanc, qua vivimus, mundi
ætatē intendere, haud obscure innuat, dum ait: ὕστεροις καὶ ὁπίσθιοις;
quæ etsi stylo Spiritus S. familiari totam illud tempus denotent,
quod ab ascensione CHRISTI ad gloriosum ejusdem reditum
decurrit ceterum patet ex 1. Joh. II. 18. id ipsum tamen in suas
quasi partes & veluti quadrantes subdividitur, ita ut hoc loco
per posteriora tempora intelligatur ætas ab Apostolorum tem-
pore paulo remotior & ad finem mundi vergens, ut cum B. HUN-
NIO loquar Comment. ad h. l. Frequentissimum autem in
ultima ista mundi face ἀποστασίας crimen futurum dicit, cujus
non modo formam, sed causam quoque mediam seu Organicam
exprimit scil. πνεύματα πλάταις spiritus errantes, i. e. falsos
Doctores, spirituum nomine alias insignitos, 1. Joh. IV. 1. qui
doctrinis demoniorum seu diabolicis & mendaciis, quorum impie-
tatem larvâ quadam externa sanctimonia & ficta seu simulate
pietatis tegant, imperitiū imponant & miseros Apostatas una
secum in exitium rapiant æternum. Certe non ovum ovo magis
simile, quam Apostolico huic effato nostra respondeant tempora
Quotusquisque enim rerum superioribus seculis gestarum adeo.
hospes est, qui illa Apostatarum feracissima fuisse ignoret.

Innumera pro! suppetunt exempla, non eorum modo, qui ex infima plebe; sed quod magis deplorandum, ex ordine Principum personarum sunt, tantoque majus apud simplices scandalum parunt, quanto in illustriori dignitatis gradu sunt constituti. Sed quid dicam de iis, qui sacris profanisque literis imbuti, gradu præ illis majori cognitionis gaudem? & tamen eo stultitia se abripi sunt passi, ut agnitam doctrina Evangelico Lutherana veritatem abnegarint atque ita non modo infamem nominibus suis Apostasie maculam attraxerunt, sed conscientiis etiam stigmata aeternum pœnitenda, nec vel ipso infernali igne delenda inusserint. Certe tantus illorum numerus est, ut jam pridem Thrasones illi Pontificii non levem inde gloriandi captaverint occasionem & huic, licet admodum ficulneo, fundamento veritatem doctrina sua superstruxerint. Vide præ ceteris Jesuitam MARCUM SCHÖNEMANNUM in Armamentario quod vocat Catholico p. 53. seq. prolixum Apostatarum tam genere illustrium quam eruditione clarissimorum Catalogum necentem, digne tamen exceptum à B. CASP. SAGITTAR. nec non à Magnifico hujus Dissertationis PRÆSIDE, Theologo s. t. adhuc juvene, armis, quibus instructus erat, levissimis plane exutum, cœ Scripta ejus Polemica Anti-Pontificia testantur junctim uno Volumine sub Tit. Bellorum Domini Witteb. 1685. 8. edita. Dignum ergo SUMME REV. THEOLOGORUM ORDO Argumentum illud, de Apostasia à Lutheranismo ad Papismum æternum exitiosa, judicavit, quod loco Dissertationis Inauguralis penitus excuterem simul & in genuinas defectionis plerorumque Apostatarum causas inquirerem, omnemq. adeo gloriandam materiam Pontificiis eriperem. Quo in labore ut individua sua Ductor ille veritatis mihi adsit gratia, Sanctissimum Numen supplicibus & ad vulnera JESU CHRISTI adstrictis veneror precibus. Sanctifica me, Sancte Pater, in Veritate Tua, Verbum Tuum est Veritas. Amen.

G. I. Ordi-



§. I.

Ordinis leges ne posthabere videar, haud abs re erit in significationes pariter & acceptiones vocum paucissimis inquirere. *Apostasiam* igitur vocabulum origine græcum esse & *ἀποστασία* descendere adeoque vi Etymologiæ defectionem seu desertionem notare, notius est, quam ut prolixiori hic explicatione indigeat; Unde merito *ALCIMI ECDICII AVITI* Derivationem rejecit *THEOPHILUS RAYNAUDUS* Opp. Tom. XVII. p. 1 qui Epist. IV. voces *Apostasie* & *Apostatae* Latinas esse & à deperdita standi firmitate derivari putat. Quamquam enim utriusque vocis extrema pars affinitatem habeat cum Latinis vocabulis à stando deductis, utriusque tamen initium mere græcum est, quare nec extrema pars Latina dici potest, nisi quendam veluti vocum ex Græco & Latino commistarum centaurum velimus confingere.

§. II. Accipitur vero in genere *Apostasia* pro quacunque status immutatione etiam mali in bonum, ubi in formali sua ratione nil amplius dicit, quam desistentiam & resilientiam voluntariam ab actione vel habitu ante susceptis, abstrahendo an terminus à quo resilitur ex laudabilium an vero prohibitorum sit genere; quo sensu ab injustitiâ apostatare jubemur, 2. Tim. II. 19. & ipse Paulus abscessisse dicitur, *ἀποστάσας ἀπὸ τοῦ αἵματος*, à Judæis illis rebellibus, Act. XIX. 9. Neque ignota sunt Megalabri nostri verba Tom. VI. Jen. fol. 22. *Seelige Apostaten / seelige Verlauffene / seelige Meyneidige / die dem Teuffel nicht Glauben gehalten und Apostaten für ihm wer-*

werden. Solcher Apostata und verlauffener Mönch bin ich auch/ und ist mein höchster Ruhm etner für Gott und meinem Gewissen.

§. III. Ad hanc significationis classẽ qvovqve retur-
leris *Apostasiam* illam qvam Pontificij satis barbare *Irre-*
gularitatis vocant: Estqve ex mente eorum alia qvæ fit
à *statu Clericali* suscepta, vel per matrimonium, vel mili-
tiam, vel habitus dimissionem; alia qvæ fit per defe-
ctionem à *Religiosis Ordinibus* semel initis per Professio-
nem aut substantialia Religionis vota: qvanqvam,
detortum ad hanc defectionem *Apostasie* vocabulum
existimet *ERASMUS* in *Ecclesiaste* seu de rat. concion. Lib.
III. Opp. Tom. V. p. 854. seq. Edit. Frobenianæ. Vid.
omnino *RAYNAUDUM* peculiari Libro de *Apostatis à Re-*
ligiosis Ordinibus agentem, qvi insertus est Opp. Tom.
XVII. in qvo p. 52. seq. integrum *Apostatarum* hujus
generis Catalogum alphabetica serie dispositum exhi-
bet. Ceterum mirè hic inter se digladiantur *Cadmei*
fratres, utrum is reprehensibilis *Apostasie* notam
mereatur, qvi absq; facultate superiorum ab uno *Reli-*
giosorum Ordine ad alium transit? Ubi plerumqve
distingvere solent inter *Ordines* arctiori & laxiori disci-
plinæ adstrictos; statuentes, licere eqvidem his, qvi
laxiori gaudent disciplinâ ad alios arctius adstrictos;
secus vero ab his ad illos transire integrum haud esse,
Vid. *BERNH. Ep. I. & SVARENZIUM* Tr. VIII. de *Relig.* Libr.
III. c. 12. n. 19. A qvibus tamen dissentunt *Jesuitæ*, eò
qvod illorum ordo non adeò stricta aut arcta gaudeat
disciplina; qvorum præcipuæ rationes sunt, (1) qvod
tales non recedant absolute à *Religioso* instituto, sed
tantum à tali. Unde (2) etiamsi ad laxiorem tran-
seant

ſeant non deſinant eſſe Religioſi & votis ſubſtantialibus adſtricti: neq; (3) ut Religioſi fiant, novam profeſſionem emittere teneantur: ceu operoſe ex *RODERICO, SANCHEZIO, TAMBURINO* aliisq; ſui Ordinis Moraliftis evincere ſtudet *THEOPH. RATNAUDUS* l.c. p. 5. Pertinet huc etiã generalis ille vocabuli Apoſtaſiæ ſignificatus, quando Viros eruditos ab inceptis ſtudiis ad alia tranſeuntes Apoſtatas dicimus, unde tritum illud: *Quilibet Apoſtata ſui Ordinis perſecutor*, cujus tamen veritati tot exemplo- rum reclamiat experientia, quorum non exiguum numerum collegit *Reverendiſſimus DN. PRÆSES* in aureo Panopliæ Sacerdotalis ſeu Muſæi Miniſtr. Eccl. Opere pag. 60. ſqq. Adde 70. *GOTTL. OLEARIJ* Diſſert. de Luthero ex Juris Studioſo Theologo & Zieglero ex Theologo Jcto. Jen. 1709.

§. IV. Plerumq; tamen *in malam accipitur partem*; & tunc *in ſpecie* notat vel deſertionem virtutis & defecti- onem ab obedientia Legi divinæ præſtanda, quam non incommode dixeris *Apoſtaſiam Præcticam ſive moralem* à fide qua creditur quæq; peccato æquipollet *Ti. I. 16* quo ſenſu *Prævaricatorem* Latine dici, qui Græce Apoſtata appellatur, notavit *S. AMBROSII* Serm. xv. in *Ps. cxviii.* Atq; ab hac Apoſtaſia nemo mortalium immunis eſt, ceu conſtat ex *Ps. XIV. 3.* & *Rom. III. 23* Conf. ex Noſtris *B. BARTH. BATTI* Antapologiam de Poſſibilitate Apoſtaſias Sanctorum contra *SEB. BENEFELIUM* Gryph. 1620. 8. Ex Arminianis *PETR. BERTIUM* in *Hymenæo Deſertore* ſeu de Sanctorum Apoſtaſia Problematibus. Francof. 1612. Vel, quæ hujus loci eſt ſignificatio, Apoſtaſia designat voluntariam quandam reſilientiam à vero DEI cultu ad falſum, quam Apoſtolus graviffime interdicit *H. br. III, 12.*

III. 12 simul & pœnam subsequituram innuit c. X 2. *seqq.* quamque alioquin *Dogmaticam à fide quæ creditur* Theologi salutant.

§. V. *Terminus à quo Apostasiæ est Lutheranismus* seu salvifica illa Evangelii à Viris DEI in V. & N. T. de CHRISTO tradita doctrina beneficio autem ministerii B LUTHERI duobus abhinc seculis à sordibus, quibus inquinata erat Papalibus repurgata, unde etiam *Alexander* ergo *Evangelico-Lutherana* audit: Quare quando GRETSERUM in Dormitorio Apostatarum destructo p. 36. seq. hunc in modum ineptire video: *Lutheranismus ante Lutherum non fuit, novitius & nuperus est; vera fidei multis post Christum & Apostolos sæculis oppositus & quidem à fœdisfrago Monacho contra communem tunc totius Orbis consensionem; non hominis, sed asini* cujusdam rudentis vocem audire mihi videor: sub hoc enim schemate sibi ipsi aliquando placuit: Scilicet cum cives ipsius apud Ordinem Jesuiticum instarent, ut Gretserum penicillo expressum sibi concederent, quem in curia honoris ergo servarent, indignabundum, ubi rescivit Gretserus, respondisse, tum demum illos suam imaginem habituros, *si vicum in tabulâ asinum haberent*; ceu Frater ejusdem Ordinis PHIL. ALEGAMBE refert in Biblioth. Jesuit. p. 199. Ceterum Antiquitatem juxta ac veritatem Ecclesiæ Lutheranae solide adversus Pontificios ex nostris asseruerunt PETR. HABERKORNIIUS in Hexade Dispp. Anti-Walenburchicarum, Gieff. 1657. 4. JAC. WELLERUS Tr. Germ. *Wo die Lutherische Kirche vor* Luthero gewesen? Dresd. 1657. 4. DAN. MULLERUS in Veritate invicta Ecclesiæ Lutheranae evicta. Lips. 1668. 4. CHRIST. NIFANIUS in Veritate Ecclesiæ Lutheranae

ranæ contra Keddium & Erbermannum vindicatâ. Bilef. 1673. 8. aliq; complures, quos brevitatis causâ omitto. Tantum ergò abest, ut Pontificia gens Lutheranismum seu Ecclesiam & doctrinam Evangelico - Lutheranam novitatis, falsitatis aut Apostasiæ ex meritis postulare aut arguere possit, ut potius ipsi jam dudum illarum rerum sit convicta. Sufficiat ex multis nunc adduxisse, par illud summorum Ecclesiæ nostræ Theologorum *NIC. HUNNIUM* in Apostasia Romanæ Ecclesiæ ab antiqua, Apostolica vereq; Christiana puritate doctrinæ, fidei, cultus & religionis. Francof. 1665. 8. *HIER. KROMAYERUM* in duabus Disp. de eodem argumento Decadibus Lips. 1658. seqq. & addat cui placet ex Reformatis *PETR. MOLINÆUM* de Novitate Papatus Tract. Cardinali Petronio oppositum, Genev. 1633. 4.

§. VI. Neque vero Ecclesia & fides Lutherana tantum vera in se, sed ita etiam vera est, ut omnis ab illa deflectens seu fides seu Ecclesia falsa sit; quod inprimis adversus Epistolam *ANONYMI* cujusdam Ministri *Pseudo. Lutherani* d. 23. Dec. 1707. scriptam notamus, cujus copiam facit *Autor Gallicus de la elef. du cabinet* Mens. Mart. Anni 1708. p. 191. seq. In qua, quisquis etiam sit, sine fronte mentitus est, Doctores Augustanæ Confess. omnes statuere, Ecclesiam Romano-Catholicam veram à CHRISTO & Apostolis fundatam esse Ecclesiam, neque Lutheranos unquam ab illa descivisse, sed diversam saltem seu distinctam esse *Lineam* aut *ramum* ejusdem stirpis, instar arboris cujusdam Genealogicæ, cujus stirps sit Ecclesia Romano-Catholica, diffundens se in diversos ex se surgentes ramos, i. e. Ecclesiam Lutheranam & Calvinianam, quæ eandem cum Catho-

lica profiteantur veritatem, quemadmodum distinctæ ejusdem stemmatis lineæ iisdem gaudeant insignibus. Sed hæc vetus est illa tibia, quam omnium temporum Syncretistæ inflarunt; adversus quos, nullam nec posse, nec debere quidem (uti se nunc res habent) Pontificiorum cum Evangelicis in causa Religionis sperari conciliationem, solide ostendit Doctissimus, cum viveret, Exoniensis Episcopus JOSEPH. HALLUS, in libro (si ab iis, quos cum Reformatis communes habet erroribus abeas) nunquam satis laudando, cui Titulum fecit, Roma irreconciliabilis. Lond. 1612. 8. Quod scriptum non modo B. HULSEMANNUS, at quantus Theologus? tanti habuit, ut ad illius ordinem Calvinianismum suum irreconciliabilem conscriberet; Sed Magnif. etiam PRÆSES noster, eo quod in paucissimorum esset manibus, dignum judicavit, quod paucis abhinc annis denuo typis committeret, eruditissimaq; Appendice, Syllabum Autorum, qui Romam reconciliabilem statuerunt, sistente, exornaret. Gryphisw. 1706. 8. Idem quoque saxum volvit FRANC. TURRETINUS, Theologus Genevensis in Tract. de Necessaria secessione ab Ecclesia Lutherana & impossibili cum ea Syncretismo. Genev. 1691. 4.

§. VII. *Terminus ad quem* Apostasiæ, de qua in præsentia agimus, est *Papismus*, sive cœtus illorum qui Papam & Summum Ecclesiæ Romanæ Pontificem tanquam caput visibile mystici corporis CHRISTI & tantum non ut Vice-DEUM venerantur æque ac colunt. Unde verò *Papa* nomen (quod inde à Gregorii VII. tempore titulo monopolico sibi tribuit Romanus Pontifex. Vid. AZORIUM Inst. Part. II. l. 5. cap. vet.) originem suam trahat, ipsos inter Papistas haud convenit; Sunt enim qui à

papis

*papis seu papillis dictum velint, quia ex Papa, haud secus ac infans ex papillis, lac fidei sugant genuina Ecclesiæ Papæ membra: in illius enim potestate situm esse nova dogmata novosque fidei articulos condere. Vid. ABR. BZOVIVM Libr. de Rom. Pont. cap. 22 ERBERMAN-
NUM in Iren. Cathol. cap. I. §. 10. MAGNIF. DN. PRÆSID. adductos in Catechism. Papist: Qv. 1. Alii ex bisyllabo abbreviato Pa. Pa. contractam vocem esse statuunt, idemque sonare ac Pater Patriæ, quo BELLARMINUS respexisse videtur, quando Libr. II. de Rom. Pontif. cap. 21. inquit: *Universum mundum Pontificem appellare Patrem; illum autem omnes filios.* Magis tamen veritati accedere, vel saltem genium Pontificis Romani felicius exprimere videtur Etymologia, utut ridicula, nominis Papæ, quam GABR. BIEL Lect. XXIII. in Sacr. Canon. Missæ pag. 145. edit. Brix. his suggerit verbis: *Nomen Papa in Scripturis non invenitur: Sed sumtum dicitur ab interjectione Papa; quæ admirationis affectum importat, unde eis propriè convenit, qui in conversatione sunt admirabiles vita, sanctitate & doctrina.* Equidem titulum Papæ in hoc significatu invidemus Papæ, dummodo, in quo illa admirabilitas consistat, quibusve admirabilis sit, ritè explicetur; Admirabilis ergò est Papa non vitæ quadam sanctitate, cum in confesso sit, Romanam sedem tanta flagitiorum habuisse mancipia, quanta unquam Sol vidit; Sed potius ob plus quam diabolicam superbiam & arrogantiam, affectatumque in ipsas personas Principes dominium, in quibus suorum oculos ita perstringit, ut non possit non miseris his cœcutientibus admirabilis videri.*

§. VIII. Nolo, huic rei ut fidem faciam, prolixè in

B 2

medium

medium afferre, Glossæ in Procem. Clementinar teste *MASCONIO* ap. *JAC. LAURENTIUM* in Hugone Grotio Papizante p. 19. de Pontifice Romano iudicium: *Papa super mundi, non DEUS, non homo, sed utrumq;*; aut ad quorundam adulatorum provocare testimonia; qui vel cum *AUGUSTINO TRIUMPHO DE ANCONA* à Papa ad DEUM nullam appellationem dari statuunt, quia unum Confessorium Papæ & ipsius DEI, Qv. VI. Art. I. in Summa de Potestate Ecclesiastica, seu blasphemis ad Papam adulationibus, prout pius quidam zelota ex merito scripti hujus Titulum immutavit, in Bibliotheca Magdeburg. Metropolit. referente *OLEARIO* in Biblioth. Eccl. p. m 89 Vel illud Apostoli *Eph. IV. 5. eis xúri* ☉, non de CHRISTO, sed Papa satis blasphemie interpretantur cum *FRANCISCO PANIGARULA* Lect. adv. Hæret. Part. I. Lect II. Has aliasq; blasphemias, qua applaudentium Parasitorum Titulos, DEI, ALTERIUS IN TERRIS DEI, VICE-DEI, &c. æquo animo & auribus ferre poterunt *SIXTUS IV. JULIUS II. PAULVS V.* aliiq; quos lubens hic prætereo, ne post Homerum Iliada scribere, aut *Reverendissimi DN. PRÆSIDIS* mei scrinia compilare videar, quippe qui hujus generis emblematis impudentissimam alias Pontificiorum gentem dudum in ruborem dedit, in eruditissimis Dissertationibus, altera de Pontificis Romani Titulo Servi Servorum; altera Anti-Grotiana, num dogma Papistarum sit, Pontif. Rom. esse DEUM? Commentario ejus de Pontif. Rom. Electione Hamb. 1690. 4. edito annexis. Ab hoc igitur Papæ Titulo, cætus eidem addictus collective sumtus, *Papismus*, singuli vero seorsim considerati *Papistæ* audiunt; quo Titulo tantum abest, ut illorum aures offendas,

das,

das, ut potius maximo sibi ducant honori eodem appellari. Vid. *LORINVM* ad Act. XX. 30. Imò *STANISLAUS HOSIUS*, Varmiensium Episcopus & R. E. Cardinalis, strenuus autoritatis Papæ in Concilio Tridentino assertor, tantum huic Titulo tribuit, ut *Satanistam* dicat, *qui non est Papista*. Opp. Tom. II. pag. 483.

§. IX. Ad *Formam* hujus Apostasiæ quod attinet, consistit illa in voluntaria dogmatum Ecclesiæ Lutheranæ priorum abnegatione & ejuratione; Papalium contra, in Formula Professionis fidei Tridentinæ traditorum publica & solenni receptione. Hæc enim Professio, quæ *Tridentina* vocatur à Celebris illa Comitatus Tirolensis in Germaniæ & Italiæ finibus sita Urbe & Concilio ibidem jussu Pauli III. Anno 1541. quidem indicto, sed inclinante demum Anno 1545. inchoato & per XXV. Sessiones, quas vocant, sub Julio III. Marcello II. Paulo IV. & Pio IV. PP. R. R. continuato; sub hoc etiam cum fine Anni 1563. finito; Hic enim & in hoc Concilio primum cusa & publica autoritate præscripta, sequentis verò Anni 1564. Mens. Decembr. peculiari Bulla, *Injunctum nobis* &c. à Pio IV. confirmata, munita & publicata est. Quæ Bulla omnibus ferme Canonum & decretorum Concilii Tridentini Editionibus subjungitur & præterea legere licet in Bullario magno Romano *LAERTII CHERUBINI* Tom. II. Edit. Lugdunensis Ann. 1655. à filio *ANGELO MARIA CHERUBINO* adornatæ pag. 129. seqq. Hæc inquam Fidei Tridentinæ Professio reliquos inter Libros Ecclesiæ Romanæ Symbolicos, velut Luna Stellæ inter minores eminet; quippe quam edere tenentur juxta Bullam Pii IV. in *Sacro-Sancta* &c. item, *Injunctum nobis* &c. omnes *Promoti ac*

Promovendi ad gradus & officia in Academiis & Gymnasis; nec non provisi quos vocant, de beneficiis Ecclesiasticis ac dignitatibus, Ecclesiis, monasteriis & aliis locis Ordinum Regularium & Militarium. Quod onus postmodum longe pluribus impositum fuit, scilicet Praeceptoribus in vicis & Pagis quin & typographis ex decreto Concilii Provincialis Burdigalensis Anno 1624. celebrati & jam ante Anno 1581. vi Decretorum Concilii Rothomagensis. Scholarum, Fabricarum, Hospitalium, Fraternalium & quarumcunque Communitatum piarum Magistris, Rectoribus, Sodalibus & Administratoribus, nec non redeuntibus à quacunque haeresi ad Catholicam Ecclesiam, verbo, APOSTATIS omnibus. Vid. Concilior. Tom. XV. col. 822. & 1635. Imo si ingenuo illi Secretorum sedis Romani Confessori & Proditori PETRO SVAVIS seu quod genuinum illius nomen est, PAULO SARPIO, credimus, Formula hæc in linguam vulgarem transferri iussa est, ut singulis Dominicis in omnibus Ecclesiis publicè legeretur & à cunctis intelligeretur. Vide ejus Histor. Concil. Tridentini Libr. VIII. p. m. 819. Edit. Francof. Anno 1621. 4. Ubi simul præcipua hujus Formulæ seu Professionis Capita recenset, quæ, quoniam apprime ad institutum nostrum faciunt, omniumque Articulorum, quos Apostata amplectuntur, summam in compendio exhibent, ipsis Sarpii verbis, ut paulo prolixioribus, dare haud pigror. Ita vero l. c. inquit: Capita hæc erant. Ut Scripturas utriusque Testamenti, quas Ecclesia pro Canonicis habet, recipiat, velut à Deo inspiratas. Ut agnoscat unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam sub uno Romano Pontifice CHRISTI Vicario, ejusque fidem & doctrinam constantissime teneat, quandoquidem Spiritus, dirigente errare non possit. Ut

aucto-

*auſtoritatem Conciliorum generalium tanquam certam & indubitatam veneretur, resq. ab illis ſemel ordinatas in dubium non reuocet. Ut traditiones Eccleſiaſticas ſucceſſive receptas conſtanti fide credat. Ut Patrum Orthodoxorum conſenſum & ſententiam ſequatur. Ut conſtitutionibus & præceptis ſanctæ Matris Eccleſiæ ad plenum obediat. Ut credat & confiteatur VII. Sacramenta, & eorum uſum, vim, fructumq. ſecundum id, quod hætenus Eccleſia docuit. Super omnia verò in Sacramento Altaris eſſe verum Corpus & ſanguinem CHRISTI realiter & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus panis & vini, virtute & potentia Verbi Divini à Sacerdote prolati, ſolo Miniſtro, ex inſtitutione Chriſti, ad id ordinato. Ut agnoſcat id offerri Deo in Miſſa pro vivis & mortuis, in remiſſionem peccatorum. Deniq. ut recipiat firmiterq. teneat, cuncta piè, ſanctè & religioſè à maioribus obſervata, nſq. ad id tempus: neq. ſe ab iis ullo modo dimoveri patiatur, ſed omnem dogmatum novitatem fugiat, tanquam venenum peſiferum, quodvis Schiſma averſetur, quamvis hæreſin deteſtetur, promptèq. & fideliter Eccleſiæ contra omnes hæreticos opitulari promittat. Hætenus SARPIUS! Qui verò integram Profeſſionis fidei Tridentinæ formulam legere cupit, evolvat Bullam Pii IV. ſupr. cit. *Injunctum nobis &c.* in qua verbotenus expreſſa eſt, quamq. magnum illud non Lipſiæ modo, ſed totius Eccleſiæ Lutheranæ decus B. D. VAL. ALBERTI, juxta Exemplar, ſubjunctum Concilio Tridentino à Chiſſetio edito una cum variationibus in Bullario Magno, deſcriptum præmiſit Exami ſuo Profeſſionis Fidei Tridentinæ Lipſ. 1692. 12. edito. In quo omnes fidei Romanæ Articulos in hac Profeſſione expreſſos ſuccinctè quidem, quod ſolide excuſſit, ita ut ſucculentum & eruditum Theologiæ Anti-Papeæ Compendium dici mereatur.*

§. X. Ante

§. X. Ante vero quam ad penitiorem Causarum Apostasiæ Considerationem descendam, illustriores illius divisiones præmittere placet. Distingvunt ergo nonnulli cum GISE. VOETIO Disp. Select. Part. III. p. 771. Apostasiam (1) ratione termini à quo in Negativam & Positivam: *Negativam* vocantes, cum quis v. gr. in Judaismo, Gentilismo & consequenter etiam Papismo natus atque educatus, sequitur & pro sua parte continuat atque implet majorum ac prædecessorum suorum infidelitatem & Apostasiam, ita, ut ipse personaliter & actu nunquam habuerit aut professus fuerit fidei veritatem: *Positiva* vero ipsis dicitur, cum quis à fide, quam actu habuit ac professus est ad infidelitatem discedit, & consequenter à conversione, purgatione, sanctitate quam & quousque habuit, atque una à communione Ecclesiæ Christianæ & per consequens Evangelico-Lutheranæ transit ad profanam communionem Gentilium, Judæorum aut Papistarum. Quæ distinctio utut fundamento suo haud destituatur, ratione terminorum tamen paulo obscurior esse videtur.

§. XI. Distingvitur (2) ratione Terminii ad quem in Perfectam, completam sive consummatam, & imperfectam incompletam seu inchoatam. *Inchoata*, quæ & alias *informis* seu *in via* dicitur, est, cum quis in statu confessionis constitutus veram & avitam religionem tegit & non profitetur, nullam tamen aliam amplectitur, licet in externis quibusdam rebus ad cultum pertinentibus seu ceremoniis hypocritam agat; talis enim Candidatus Apostasiæ totalis est & in potentia proxima seu procinctu stat ut transeat. Cujus Apostasiæ species tempore persecutionis in primitiva Ecclesia erat eorum,

qvos

quos vocabant *Libellaticos*, qui pecunia sibi compara-
 bant libellum ac si sacrificassent Idolis, licet id factum
 non esset; A quibus diversi erant *Traditores*, qui Biblia
 sive Libros Sacros igne comburendos tradebant; *Thuri-*
ficati seu *Thurificantes*, qui thus idolis offerebant; *Mitten-*
tes, qui incensum tantum in ignem mittebant; *Sacrifi-*
cati seu *Sacrificantes*, qui sacrificia Idolis præstabant; *Blas-*
phemantes denique, qui præter sacrificia Idolis præstita
 convitia etiam & blasphemias in CHRISTUM conjicie-
 bant. Vid. *Gvil. Saldenium* in *Otiis Theol. Lib. II. Exerc.*
X. § 5. p. 410. seqq. & qui primo loco nominandus erat
Tob. Pfannerum *Observ. Eccl. II. & III. de Sacrificatis,*
Libellat. & Traditoribus. Omnes hæ species erant lapsi
 seu Apostasiæ inchoatæ, ad quam metus martyrii illos
 adducebat: unde & primitiva Ecclesia severè admodum
 in ejusmodi Apostatas animadvertit, quod multis agit
Jo. Barthold. Niemeierus *Tr. de disciplina Ecclesiastica*
Dissert. III. §. 28. seqq. Hujus generis Apostasiæ hodie
 quoq; rei sunt, qui in locis Papisticæ Religionis addictis
 versantes, ne periculum vitæ incurrant, Rosariis utun-
 tur aut aliis Ceremoniis seu Sacris Ecclesiæ Romanæ
 externis indulgent; ita enim *Godeeridus a Driel* in
Hyperaspiste Rosarii pro Apodixi Theologica de Rosa-
rio: Nemo nec nostrum, nec vestrum dubitat, Papistam vel
Romanæ fidei pronunciare eum, ex cujus vel cingulo, vel collo, vel
manu rosarium pependerit. Conf. plurib. *Summe Venerandi*
Dn. Prasidis Reisenden Lutheraner ins Pabstthum.
Qv. 6. p. 87. seq. Pertinet quoque ad hanc Apostasiæ Clas-
 sem Vilipendium Religionis Lutheranae, quo quis in-
 differenter se habet sive in Romanæ, sive Lutheranae
 Eccle-

Ecclesiæ externa vivat communione, quem uno verbo *Indifferentistam* seu *Neutralistam* dicimus. Qualem paucis abhinc annis personatus ille *Ericus Fridlibius*, sic dicta Inquisitione in Indifferentismum Religionum se prodidit, à Summe Rev. *Dn. D. Wernsdorfio* aliquot Dispp. Academicis nec non *Dn. D. Schwerdtnero* in Epit. Controv. Theol. digne exceptus solideque confutatus. Huic ergo inchoatæ opponitur *Apostasia consummata*, quæ & alias *formata* & *formalis* seu *in termino* nuncupatur, qua quis oppositam fidem, seu potius infidelitatem, Papæam profitetur, tuetur & quocunque modo promovet: Cum hac Distinctione convenire videtur illa quando Apostasia in Totalem & Partialem dispefcitur; quanquam alii quandam hic quoad utrumque Distinctionis membrum agnoscere velint differentiam; quæ tamen plus subtilitatis, quam utilitatis, nostro quidem iudicio, habet.

§. XII. Accurationis tamen seu *ακριβείας* laudem præterea meretur Distinctio illa, qua (3.) in *Privatam* sive tectam & solennem seu *Publicam* dividitur. Illa, ceu ex terminis patet, est eorum, qui in Lutheranismo habitantes sub communi nomine & umbra Lutheranorum adhuc latere volunt. Exemplo esse poterit celebris ille JCtus & Academiæ quondam Tubingensis, post Apostasiam vero Ingolstadiensis Professor, *Christophorus Besoldus*, Anno 1638. ceu ipsi emortuali, Oratione Funebris laudatus, à *D. Arnoldo Rath*, Pandectarum Professore, quæ, una cum Catalogo Scriptorum illius, ultimæ Edit. Synopseos Besoldianæ, Rerum ab Orbe condito gestarum Ingolst. 1639. 12.

à Jo-

â Jo. Jac. Speidelio adornatæ annexa est: in quo Parentator p. 37. refert: *Besoldum jam Anno 1630. Heilbrunna Kal. Augusti coram Welfango Hoegnero, Ordinis Fratrum Minorum strictioris observantia, Provincie Alemannica Ministro Provinciali, præmissa generali totius vitæ expiatione & exomologesi, imo uti p. 19. l. c. ait, cum publica erroris (hoc enim Titulo Veritas Evangelica ipsis venit) execratione Pontificiam Religionem professum esse, coram testibus legitimis ad præscriptum SS. Concilii Tridentini.* Unde merito concludit Doctissimus ille Biographus Wurtenbergicus Ludov. Melch. Fischlinus in Supplem. ad Memor. Theologor. Wirtemb. p. 173. seq. Utique insignem Hypocritam & illusorem turpissimum fuisse Besoldum, qui per integrum adhuc quadriennium Lutheranorum sacris interesse non dubitaverit, quippe qui Anno demum 1635. cum post celebrem illam Protestantium apud Nerolingam cladem omnes eorum vires cecidisse, deque Lutherana Religione conclamatum esse crederet, Evangelicorum communione misâ, Papicolarum Ecclesiæ sese adjunxerit & Professionem Juris in Academia Ingolstadiensis obtinuerit. *Publica vero & solennis Apostasia quomodo quibusve ceremoniis peragatur & absolvatur hic describere nimis prolixum foret; Plura vero, qui de Nugis hisce plusquam Histrionicis nosse cupit, eum evoluisse haud pœnitebit Pontificale Romanum pag. 568. seqq. Edit. Paris. Anno 1665. 8. Ubi Ordo, quem vocant, ad reconciliandum Apostatam, Schismaticum vel Hæreticum præscribitur simul & operose describitur.*

§. XIII. (4) Ratione Personarum seu Subjecti quidam dividunt Apostasiam in *simplicem* & *qualificatam*; illam vocant, qua quis à fide, in qua natus & nutritus est, ad Papismum transit; Hanc verò describunt, quando erroribus Papisticis, in quibus qui natus est & educatus, nuncio misso, ad fidem & Ecclesiam Evangelico-Lutheranam conversus cum cane ad priorem vomitum redit aut cum sue ad volutabrum luti revertitur. 2. Petr. I. 21. Quale plerumque vagabundum illud hominum genus esse solet, quod sub titulo Converterorum otio & mendicandi studio indulget. Reliquas distinctiones huc pertinentes quando v. gr. Apostasia porro ratione subjecti dividitur, in adultorum & infantum; Virorum & Fœminarum; Genere aut eruditione illustrium & non illustrium; singularum personarum & communitatis alicujus, &c. &c. Apostasiam, has inquam aliasq; hujus generis distinctiones, utpote ex ipsis terminis claros, nihil moramur.

§. XIV. Dividitur (5) ratione Adjuncti seu concomitantis sive consequentis in Apostasiam vel conjunctam cum blasphemia & persecutione pristinae fidei sociorum, vel secus. Illius generis innumera commemorare possem exempla, nisi temporis angustia dicendorum compendium facere juberet. Sufficiat ergo Trigam saltem Apostatarum, præ ceteris hoc nomine celebrium, adduxisse, nempe Frid. Staphylum, Casp. Uhlenbergium & Carolum à Kreitz. *Staphylus* enim, Patria Westphalus, qui ipsum *Lutherum* & *Philippum Melancthonem* Doctores & Præceptores habuerat, post Apostasiam calamum suum in edendis variis

variis scommatibus tam in Lutherum, quam Evangelico-Lutheranos, exercuit; Testantur hoc, *Epitome Theologiae Lutheri*, nec non *Apologia* pro eadem contra Phil. Melanchtonem & Jac. Andreæ, aliaque ab ipso edita virulentissima Scripta, postmodum in unum volumen digesta & *Ingolstadt*. 1613. 4. publicata. Imo fertur paulo ante mortem, spissum adhuc hujus generis scommatibus repletum sub manibus habuisse Librum, in quo ostendere voluerit; Doctrinam Lutheranam Centonem esse ex variis Hæresibus, qui tamen 1564. morte præpeditus, æternis, quibus dignus erat, tenebris sepultus mansit. Vid. *Hartknochii Hist. Eccl. Pruss. Lib. II. c. 2. §. 12. p. 340. seqq.* *Caspar Uhlenbergius* itidem natione Westphalus, patria Lippiensis, Theol. Licent. Colonienfis & Gymnasii Laurentiani Regens nec non ad D. Columbam Pastor Anno 1637. è vivis sublatus, ut multis aliis ita Bibliorum imprimis ex Vulgata Latina Sixti V. ad mandatum Ferdinandi, Archi-Episcopi Colonienfis, in Germanicam Linguam Translatione, clarus, quantus & quam insignis Theologorum Protestantium Calumniator fuerit & obtrektor, vel ex sola, *de rebus gestis Lutheri, Melanchtonis, Flacii, Georgii Majoris & Andr. Osiandri, Historia*, Colon. 1622. 8. II. Tom. edita, constat. Denique *Carolus a Kreutz* Nobili prosapia è Misnia oriundus, ad Pontificios & infensissimos præ cæteris Lutherani nominis & Religionis hostes, Esavitas seu Jesuitarum Ordinem deficiens, tam infano zelo vel furore potius avitæ fidei socios invasit, ut à *Nath. Seshwello* Bibl. Jesuit. p. 129. *Mallei Hæreticorum* repor-

reportaverit elogium. Evomuit vero suum calumniandi virus duobus præcipue, ut reliqua, quorum Sothwellus l. c. texuit Catalogum, omittam, in scriptis, quorum alterum inscripsit, *de fonte venenato doctrinae Lutheranae & salubri fonte Catholicorum* Vilnæ. 1648. 8. alterum Braunsberg. 1655. 8. editum prostat sub Titulo *Indefensus Lutherus*, oppositumque est Joh. Mölleri, Theologi quondam Hamburgensis de Lutheri nomine & universa Ecclesia Lutherana immortaliter meriti, *Luthero defenso*, Lingua vernacula, 1635. 8. edito; qui tamen non mansit in are Jesuitæ, sed sub initium Anni 1659. 8. adornavit Defensionem Lutheri defensi, tanta soliditate, ut obtrectator Jesuita bienio licet adhuc superstes (obiit enim juxta Sothwellum l. c. d. 30. Sept. 1660.) ne hiscere quidem contra ausus fuerit, nullusq; postmodum Sodalium illius quicquam, quod reponeret, habuerit.

§. XV. Ultima deniq; Apostasiæ divisio est, quando (6) ratione durationis in finalem & *πρόσκαιρον* sive temporariam distinguitur; illa est cum miseri Apostatæ ex justo DEI judicio indurati, fraudibusque illorum, qui ad Apostasiam eos sollicitarunt, circumventi, nunquam per poenitentiam ad abnegatæ veritatis agnitionem revertuntur, aut laqueis diaboli, quibus capti detinentur, se expediunt; 2. Tim. II. 16. *πρόσκαιρον* vero nuncupatur, quando vera poenitentia ducti de admissio abnegationis scelere serio dolentes, idque ex animo detestantes, Pontificiæ doctrinæ nuncium mittunt, seqve externæ illorum Communioni subtrahentes, ante terminum vitæ ad gremium Ecclesiæ Evangelico-

lico-Lutheranæ se recipiunt; quod, quanto difficilius est, nam & hic illud Poëtæ obtinet:

*Sed revocare gradum, superasq. evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.* Virgil. Æneid. VI. 128.

Tanto rarius contingere solet. Suppetunt tamen quorundam exempla, inter quæ præ ceteris illustre est *Samuelis Hermanni*, *Joh. Hermanni*, P. L. Cæs. Pastoris Kōbensis in Silesia, filii, cujus memoriam Ecclesia Lutherana, ob varios non modo hymnos multum solatii & pietatis spirantes; sed Scripta etiam Ascetica, sancte veneratur magnoque in pretio habet. Vid. *M. Erdm. Neumeisteri* Dissert. de Poëtis Germanicis. p. 48. seq. Hujus enim filius *Samuel Hermannus*, Vratislaviæ studiis incumbens, Jesuitarum fraudibus ad illorum partes est pertractus, mox tamen precibus & admonitionibus Parentis mature ab impia illa societate revocatus. Legi in hanc rem merentur Epistolæ Patris Dehortatoria, Filii Revocatoria & tandem Parentis Consolatoria, junctim Brunsvig. 1648. 4. editæ; Novissimum exemplum est *J. T. Henrici Lipsiensis*, qui Viennæ Jesuitarum blanditiis irretitus Ecclesiæ Romanæ nomen dedit, inq; ea per tres ferme annos & quod excurrit Capellanum Aulicum, egit, Romam postmodum missus in gratiam Missionariorum, *Singularem & infallibilem convincendi Lutheranos etiam contumacissimos modum* Anno 1702. Clementi XI. P. R. & Congregationi de propaganda Fide oblatum, edidit, quem Summ. Rev. Dn. D. *J. Günther* Anno 1708. in Disp. Graduali sub examen vocavit, simul & in præmissa Præfat. Historiam Apostasiæ æque ac Reditus ejusdem

eiusdem ad Ecclesiam Orthodoxam nec non causas ad utrumque eum moventes, prolixè persecutus est. Ceterum temporis angustia excluso *Causas præcipuas*, quæ magni nominis Viros in Apostasiæ angustias coniecerunt, addere in præsentì non licuit. Eas igitur, una cum Historico celebrioris notæ inter Eruditos Apostatarum recensu, in *Coronide Historico-Theologica* B.L. proxime expectabit.

§. XVI. Restat ergo ut paucis adhuc ostendamus Apostasiam hætenus à nobis consideratam nonnisi tristem æternæ damnationis & exitii manere juxta ac comitari effectum, id quod sequentibus efficiemus argumentis.

(1.) Supponendo, nonnisi *unam* ad DEUM perveniendi esse *viam*, nempe Christum; nemo enim ad Patrem venit nisi per ipsum *Joh. XIV. 6. Unum salutis consequendæ modum, CHRISTUM, Act. IV. 12. Unum fidei Fundamentum CHRISTUM, 1. Cor. III. 12. lapidem illum angularem Act. IV. 11. Eph. II. 20. Hinc omnis qui transgreditur & non manet in doctrina CHRISTI, DEUM non habet: qui vero manet in doctrina CHRISTI, is & Patrem habet & Filium*, ceu Joannes ait 2. *Epist. vers. 9. Cum itaque Divina fiducia moti, teneamur confiteri: Lutheranam Religionem non transgredi, sed in doctrina Christi manere adeoq; Patrem habere & Filium; Papæam è contrario transgredi nec in doctrina CHRISTI manere; id quod Verbum illorum Non-scriptum, totve in Redemptionis, Justificationis, S. Cœnæ aliisq; Articulis seu fidei Christianæ Capitibus errores & heterodoxa confirmant dogmata; Ergo illarum Religio DEUM non habet; Ergo, qui*
à Reli-

Religione Christum habente, transit ad illam, quæ Christum non habet, exitto se devovet æterno cum extra Christum nulla sit salus Act. IV. 12. Joh. III. 18. Minorem ut prolixè hic deducam, neque instituti, neque temporis, neque chartæ ratio permittit, brevitatibus igitur causâ B. L. ad solidissima Consummatissimorum Theologorum scripta remitto, puta, *Mart. Chemniti Examen Concilii Tridentini*, *Nicolai Hunni & Hieron. Kromayeri Tractatus de Apostasia Romanæ Ecclesiæ*, & *Magnif. Dn. Pro-Cancellarii, Patris & Promotoris mei æternum colendi, Librum*, quem vocat, *Bellorum Domini*.

2.) *Aliud quam quod Apostoli annunciarunt, Evangelium cum Evangelista suo Anathemate notatur Gal. I. 8. Pontificiorum Evangelium aliud est, quam quod Apostoli annunciarunt: Ergo illud Anathemate notatur; Ergo Verbum non vitæ sed mortis est: Ergo qui cætum illum, ubi verum annunciat Evangelium, deserit & ad illum, ubi aliud docetur Evangelium deficit, æternum sibi attrahit exitum.*

3.) *Si quis adoraverit Bestiam & imaginem ejus, & acceperit Characterem nominis ejus, ille cruciabitur igne & sulphure, & fumus tormenti illius ascendit in Secula Seculorum &c. Apoc. XIV. 9. 10. 11. At, qui à Luthera ad Pontificiam Religionem accedit, Bestiam Apocalypticam i. e. Rom. Pontificem illiusque imaginem adorat & characterem nominis ejus accipit: Ergo igne & sulphure cruciabitur & fumus tormenti illius ascendet in Secula Seculorum, i. e. æternum contrahit exitum.*

D

§. XVII

§. XXII. Paucis igitur de Apostatis his ex ipsius
Judicis ore accipe sententiam: *Abominatio DEO est* 177
Perversus, s. ut B. Lutherus rectissime vertit ein *Abtrün-*
niger. Prov. III. 32. *Justus ex fide vivet*, & *si se subduxerit*,
non probabitur animo meo Ebr. X. 38.

At nos, ne simus subtractionis
Filii in perditionem, fidem retinemus
in acquisitionem animæ. Nos (ut ver-
bis Confessorum in Præfat. Form. Concordiæ hanc
obsignemus Dissertationem) Confessionem Lu-
theranam, DEO nos bene juvante,
usque ad ultimos Spiritus, pie ex hac
ad coelestem patriam migraturi, te-
nebimus; excelso & intrepido animo,
pura Conscientia comparituri co-
ram tribunali Domini nostri
JESU CHRISTI.

S. D. G.



July 18. 1875

131 B. 10

Canis 596.

W18

